

quorum Rex ne conscius quidem. Postquam enim Nobiles Pontificii audivere, alteram partem non illico morem gerere, dixerunt: quia non lubentes religionem suam mutarent, Regem quoque eos cogere nolle, nec opus esse, ut eam ob rem Parisios proficiscerentur. Ast si Regio mandato fuissent nixi, illud sane produxissent, nec sese praebuissent tam faciles.

EIVSDEM. *Argentorati, d. 1^o Ian. 1686.* Articulos fidei praecipuos, quos pridem Excell. Vrae misi, refutavit Latino & Germanico idiomate Tubingae D. OSIANDER, quin & ipse Pontifex Romanus eos publice damnavit, & Decreti eius exemplaria etiam in Germania passim publicari curavit. Quemadmodum in Wormatiensi territorio etiam est affixum: cuius copiam illinc transmissam habemus. Et, quia huius rei nuntium ad Excell. Vram nondum pervenisse, arbitror, (nos quippe praeterita demum septimana copiam illam accepimus & Decretum ipsum paulo ante affixum scribebatur) totum apponam Decretum, quod sic se habet:

DECRETVM

Feria Vta 30. Aug. 1685.

Sacra Congregatio Eminentissimor. D. D. S. R. E. Cardinalium in tota Republ. Christiana Generalium Inquisitorum, habita in Palatio Apostolor. ap. Montem Quirinalem, post examen Theologorum specialiter ad id deputatorum de mandato Sanctissimi D. N. Innocentii Papae XI. praevis relatis Sanctitati suae Eminentissimorum votis & Theologorum censuris: damnavit & prohibuit, ac praesenti Decreto damnat & prohibet infra scriptum libellulum, ubicunque & quocunque idiomate aut versione huc vsque impressum ac in posterum imprimendum, ne quis, cuiuscunque sit status & conditionis, eum vilo modo imprimere, vel imprimi facere audeat, sub quocunque praetextu, neque impressum apud se retinere, aut legere licite valeat, sed ipsum Ordinario locorum, aut Haereticae pravitatis Inquisitoribus statim &